



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S Aichardus Abbas. 15. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

## S. AICHARDUS ABBAS.

15. Septembris.

**I**ngens duellum matrem inter & patrem felicissimè AICHARDUS sustulit. Dum enim hic militiæ, illa Deo devotum vellet filium, hic pulchræ litis arbiter, ut ex æquo rem componeret, utrumque præstitit, & ad militiam abiit, sed religiosam & DEO sacram. In hæc cum egregiè diu adversus Orcum depugnasset, & in fundo paterno victrici *Virgini* ædem, hoc est, & propugnaculum sibi exædificasset, Dux demum nongentis monachis datus est. Inter fortia ejus facta memorant in fugam actum non semel hominum hostem, sive crucis telo, cum arbore dejectâ obruere Christi milites vellet; sive aquâ lustrali, cum hæc omnibus suorum cubiculis exegit. Post multas maximasque pugnas beatam vocationem tandem pro suis à DEO petiit. Annuit hic & Angelum bonum, misit, qui post longam cum malo luctam bacillo mediam partem tam sancti exercitus signavit. Erat hoc rude emeritos donasse. Nam de morte & ipsi moniti, cum quatuor dierum jejunio corpus curassent, & sacris omnibus se armassent, ultimum pugnarunt, eodemque die, vultu (ut victores seires) læto & præfulgido omnes cælum triumphantes

Oo . . . ingrei-

578 VITÆ SANCTORUM. 16. Sept.  
ingressi sunt. Sed & *Aichardus* tunc se-  
cutus est. Cur enim à triumpho Dux ex-  
cluderetur? *Ex Grasso.*

*Deputat Deus Virtutes Angelicas hu-  
mana custodia, & infelix homo relicta pu-  
ritate virtutum, squaloribus se polluit vi-  
ziorum: & Angelus foetorem, ac inhone-  
stam purulentia nauseam invitus tolerat,  
etsi caelestis imperii lege constrictus obe-  
dientiam non emittat. S. Pet. Dam. l. 1.  
cp. 15.*

S. EDITHA V. 16. Septembris.

**F**erax olim Divorum tellus Anglia,  
quàm cheu! degenerasti. sponte tuâ  
ferebat fructus olim, quos jam non ni-  
si gladiis sulcata, & sanguine rigata do-  
nas. Illos inter EDITHA numeratur  
Edgari Regis filia & Christi sponsa, cui  
amores suos primis annis devovit, para-  
nymphos novo more leproios diligens,  
quos, quò deformiores aspectu erant,  
hoc formosiores & digniores se puta-  
bat; ut jam cælo id muneris ambiente,  
non dubitaret Angelus pauperem præ se  
ferre. Porrò in deliciis EDITHÆ Crux  
fuit, quam cum pingere toties manu  
Dunstanus Antistes vidisset, pollicem  
prehendens nunquàm tabo obnoxium  
esse iussit. Id quod postea factum vidit  
Anglia, cum à morte (quæ ut suavis ef-  
fet, cantu suo Angeli fecerunt) trigesimo  
die